

Q.K. 417, 19.





B.M.L.728

ERNESTI FRIDER. WERNSDORFI

THEOL. D. ET. P. O. ALVMN. ELECT. EPHORI

COMMENTATIO

DE

ORIGINIBVS SOLLEMNIVM

S. MICHAELIS

IPSO SOLLEMNI MICHAELIS SACRO

AN. MDCCCLXXIII.

P. P



---

VITE BERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACAD. A TYPIS



ПРОСВЕЩЕНИЯ  
И МОЛЧАНИЯ ВЪ СЛУЖБѢ

МОИХЪ ПОСЛАНИЙ КЪ БОГУ

СТАТИИ ПОДЪ

№ 3

ОРИGINIUS SOTERIUM

о МИХАЕЛЕ

цио СОФЕРЕНІИ МИХАЕЛА АВСРО

ПОДЪ №

77

БАБЕЦКАТЫ

СИГИСМУДА СОЛОДА СЕГЕДСКОГО ДЕЛЛІ  
1855 А ФРІД.

D E

# ORIGINIBVS SOLLEMNIVM S. MICHAELIS

**A**nnus hic agitur sextus et decimus, quum hoc munere longe iucundissimo indicandorum festorum ecclesiae nos primum in Sacro Christi Natali fungentes, *de originibus sollemnium Natalis Christi*<sup>a)</sup> commentari sumus. Nunc eo munere primum in Sacro Michaelis functuri, similiter faciemus, ut de SOLLEMNIVM S. MICHAELIS ORIGINIBVS hac scriptione agamus: idque tanto magis, quod origines horum sollemnium perinde ut illorum, plurimis difficultatibus laborare sunt uisae. Nam, ut festum Natiuitatis Christi primo in ecclesia plane celebratum non est, deinde autem saeculi quarti circiter medio, abrogandi na-

A 2

talis

<sup>a)</sup>) Vulgatum est Progr. ipsis Natalibus I. C. sacris an. 1757. Eam qui recensuit in *Nou. litter. Lips.* an. 1758 No. 12. plane sententiam nostram probavit, Natiuitatis Christi festum ex abrogato natali inquieti s. solis in diem XXV. Decembris collatum esse. Comperi post ea recensionem istam factam fuisse a CELEBERR. SCHROECKHO, iam Collega nostro iunctissimo. Non igitur uidere possum, cur is eam senten-

tiam, cui tum accessit, postmodo velut improbase videatur, in libro suo *der Christlichen Kirchengeschichte* T. I. p. 411. Ibi enim quasi adhuc dubius et fluctuans, nihil certi voluit de originibus his sollemnium natalis Christi ex festiuitate natalis Inquieti pronunciare. Sed ego etiam nunc puto, rationes a me addatas eiusmodi esse, quae satis valeant ad illam sententiam stabilendam.

## IV DE ORIGINIBVS SOLLEMNIVM

talis solis caufa, institutum, et minus recte in brumam collatum. ita etiam in *Festo Michaelis* celebrando, ecclesiam uariasse deprehendimus. Praeterea facile confusione parit, quod hodie in ecclesia occidentali Romana uelut duplex Michaelis Festum celebratur, alterum ab altero diuersum. Nam alterum celebratur die VIII. Maii, <sup>b)</sup> alterum cuius origines iam aperiemus, die XXIX. Septembbris. Illud est adparitionis Michaelis, hoc, *S. Michaelis et omnium Angelorum*, diciturque a Germanis die *Engelweyhe* <sup>c)</sup>.

Quae res occasionem dederit instituendi huius Festi, haud sat expeditum est, quod praeter caeteras fabulosas narrationes, ex praua religione confictas, et creditas, uariae et multiplices, aliquae maxime sollemnes Michaelis Archangeli adparitiones factae memorantur Romae, Chonae, in monte Gargano, in monte Tumba.

Quae

<sup>b)</sup> Ita in *Martyrologio Romano* a Caef. BARONIO edito, locum habet VIII. Maii.

c) Hancadpellationem quae fabulam illam de Michaelis Archangeli adparitione in monte Gargano facta, et suscepta ab ipso templi dedicacione, satis arguit, bene ac diligenter explicavit CHR. GOTTL. HALTAUSIUS in *Calendar. med. aevi p. 131.* Temen reliquum nonnihil superest, quod maiorem lucem desiderat, quam ei rei facile adiundet. *Illustr.* I. G. BOEHMIVS uetus noster inde a condiscipulatu in schola Portensi amicus, qui nuper datis ad me litteris parare se talem scriptiōnem indicavit.

<sup>d)</sup> De Festis Opp. T. I. p. 108 ubi plures Festi chronologias congregit, ut

*Eccii annum 390. Honosarri an. 394. Dresseri an. 480. definientis. Alii natales Festi ex Saec. VI. repentut et Gregorium M. Ep. Rom. auctorem eius uolunt sed sine teste. Sane difficile est, ritum, qui initio particularis tantum unius provinciae fuit, et succedente tempore ad alias dimanauit, desique universalis factus est, epocham constitutere.*

<sup>e)</sup> Libello inser. *Hist. Festorum et Dominic.* p. 177.

<sup>f)</sup> Progr. de *Originibus Feriarum die Michaelis celebrandarum* Helmst. 1726. P. P. Adpositum Reulichii nomen non est. Hinc *Illustr. Haeberlinus* in dissert. mox citanda Auctorem ignotum sibi

Qui festi origines dedita opera indagarunt RVD. HOSPINIANVS,<sup>a)</sup>  
IO. ANDR. SCHMIDIUS<sup>c)</sup>, ERH. REVSCHIUS<sup>f)</sup> vehementer dis-  
crepant, et SCHMIDIUS quidem refert illas ad medium Saec. V.  
et aetatem Felicis P. R. sed unde sua hauserit, non commemorat.  
CAROLO STENGELIO<sup>g)</sup> antiquis pontificis fabulis et angelorum  
cultui plane inherenti ipsa superstitione impedimento est, quo mi-  
nus uerum cognoscere possit. Omnia industria longe supera-  
uit *Vir illustris FRANC. DOMINICVS HAEBERLIN,*<sup>b)</sup> qui insigni  
adparatu historico ad eam rem excutiendam accessit, nec tamen  
uidetur animaduertisse, festi Michaelis origines fere fuisse eas, ac  
ipse docui fuisse sollemnum Natalis Christi in diem XXV. mensis  
Decembr. Saec. IV. medio collocatorum. Nam, ut Iulius I. Ep. Rom.  
quo retineret Christianos, qui tum Romae Saturnalibus mirifice  
delectabantur a quodam Solis cultu, natalem inuicti solis in natalem

A 3

Chri-

fibi esse ait. Sed in meo istius Progr.  
exemplio b) Pleskeii manu adscriptum  
REVSCUTI nomen legitur. Quod ideo  
indicandum duxi, ne in egregio libello  
ubi dodecaden Programmatt. Helmst.  
in festo Michaelis de Archangelo eius  
Festo P. P. commemoratam habes  
p. 7. imperfectum quidquam iure diei  
possit.

g) Prodiit Jesuitae libellus hoc titu-  
lo: *S. Michaelis Archangeli Princi-  
patus, Adpariciones, Templa, Cultus  
et Miracula ex sacris litteris Janellis  
Patribus et Hisl. Ecclesiast. eruta Aug.  
Vindel. 1629. in 12mo. c. fig. et quia  
nostris in oris rarius est, summas capi-  
tum eius exhibet Illufr. Haeberlinus  
sub initium diff. p. 4. 5. Dici autem*

uix potest quae plaustra nugaram et fa-  
bularum aduixerit STENGELIVS, de  
Michaeli signero, de adpartitionibus  
eius Franciso Seraphico factis, de pugna  
eius contra Luciferum etc. Nec ea,  
quae de festis diebus in honorem S. Mi-  
chaelis institutis p. 251. habet meliora  
fonte. Repetit enim fabulam de Mi-  
chaeli Archangelo aedificatore et dedi-  
catore atque consecratore templi in  
monte Gargano.

h) Selecta quaedam de S. Michaeli  
eius adpartitionibus, Festis et cultu in-  
primis in monte Gargano et in monte  
Tumba illucque factis peregrinationi-  
bus, spissio 82 paginarum Progr. propon-  
sunt Helmst. 1748.

## VI DE ORIGINIBVS SOLLEMNIVM.

Christi commutauit: ita episcopus ecclesiae in monte Apuliae Gargano, aedis Michaelis encaenia non aliam ob caussam instituit, quam ut populum ab illa iniquitatis pompa, quae die XXIX. Septembris inualuerat, auocaret. Et hanc priuatam eius regionis in illum diem religionem, constat, Saec. IX. factam catholicam ac intelligitur, sine miraculo aut Archangeli sollemni adparitione id omne fieri potuisse.

Nomenclatura quidem, quae in antiquis Kalendariis occurrit: *Dedicatio ecclesiae S. Michaelis*, <sup>i)</sup> habet ipsa quoque aliquid obscuritatis, nec enim facile est perspicere, quando et quomodo unius alicuius prouinciae propria religio facta sit omnium communis, et ad totam ecclesiam peruerterit.

Quumque ad caeterorum festorum origines definiendas liceat adhibere constitutiones, quibus festi cuiusque dies ex numero dierum profestorum et operariorum exemptus est: nihil eae nos iuuant ad initia eius festi reperienda, quippe quod primo tantum ut minus sollempne celebratum, et Saec. IX. demum inter sollemnia nedum maiora referri coepit est. Igitur quum CARISSIMI CI-

VES

i) Ita in antiquis Kalendariis habetur, itemque legitur in illo *Kalendario Romano*, quod ex MS. S. Genovae Parif. aureis characteribus exarato ion. FRONTO in *Epistolis Dissertt. ecclesiast.* exhibuit pag. 201. edit. Veron. an. 1733. in 800 mai. Observauit autem in Progr. an. 1770. in Promotione doctorum Theologiae ipso consecrationis acad. aedis sollemni P. P. de Dedi-  
catione templi Constantini ab Euse-

bio narrata p. 16. medii aevi scriptoribus dedicare idem esse ac incipere. Ab iisdem quoque dedicationis uocabulo denotatus festus dies, frequentissimo hominum confluxu quotannis celebatur solitus in honorem eius, quem aedibus recens excitatis patronum turelarem adscuerat eiusque exuvias ibi considerat superstitiosa antiquitas. Saeculo adhuc XIII Gregorius IX. P. R. nomenclatura *Dedicacionis* usus est c.  
5. X.

VES iam ad S. Michaelis Sacrum rite peragendum hascriptione nostra invitandi sunt, ORIGINES SOLLEMNIVM S. MICHAELIS inuestigabimus, et ostendemus, initio omnem superstitionem angelorum cultum ab eo absuisse, post ea adparitionis Michaelis in monte Gargano factae, festum adpellari et magnis ecclesiae festis accepteri coepisse.

MICHAELIS nomen Hebraicum, significans, *quis sicut Deus*, in sacris libris non infreuenter occurrit: ut, NVM. XIII. 14. I. PARALIP. VI. 13. IX. 16. DANIELIS X. 13. 21. XII. 1. IVDAE 9. APOCAL. IOH. XII. 7. Et in loco DANIELIS ita hoc nomen angelo tribuitur, vt praeter ea nemo alias intelligi possit, non Princeps Persarum Iudeis fauens, non Zorobabel aut Iosua Pontifex: IVDAS Apostolus autem angelorum Principem et IOHANNES angelum clare designat.<sup>k)</sup>

Quare non potuit non etiam in ecclesia Christiana id nomen saepe usurpari. Michaelis autem Archangeli nomen ab eo tempore in ecclesia christiana memorari coepit, quo tempore superstitione ac ταπεινοφροσύνη eorum hominum, qui Angelici<sup>l)</sup> dicebantur,

5. X. de Feriis, dum praecepit, ut die Dedicationis beati Michaelis fori strepitus conquescat. Beatum vocat Gregorius Michaelem non aliter ac Paulus Apof. 1. Tim. 1. 3. Deum ipsum, more Graecorum, qui non tantum morti non amplius obnoxios, sed etiam, quos deos et heroas putabant, μάνες adpellarunt.

k) Id praeter caeteras bene demonstavit Ven. Collega HOFMANNVS ali-

quot. Programmatt. ipso Mich. Saero P. P. de eo, an plures uno existant archangelii? cloccCLIV. et archangelum a S. Iuda commemoratum esse angelum creatum cloccLVI, et cloccLVIII.

l) Hos memorat EPIPHANIUS Haer. ref. 60. T. I. p. 505. it. AVGUSTINUS de Haer. c. 39 u. Ven. C. W. FRANC. WALCHII Historie der Ketzereien T. 2. p. 179.

VIII DE ORIGINIBVS SOLLEMNIVM

bantur, cultum quendam et venerationem angelis deferendam esse statuebant. Quorum hominum peruersa religio, et si ab antiquae ecclesiae doctoribus reiecta, immo etiam decretis quorundam Conciliorum damnata est: breui tamen tempore, nescio quomodo factum est, ut haec angelorum calendarum religio a pluribus adoptata, sic denique inualeceret, ut eorum honori etiam templa dedicarentur, maximeque Michaelis Archangeli, nescio quae, miracula et adparitiones, maximo numero, ab aliis ad aliorum fraudem confictae, prohiberentur. Nouissime in honorem angelorum et praecipue S. Michaelis instituti sunt festi dies.

Vetuerat sub initium Saec. IV. angelorum venerationem *Synodus Laodicena Can. XXXV.* his uerbis: Οὐ δέ τις χριστιανὸς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τῆς Θεοῦ, καὶ ἀπίνει, καὶ Ἀγγέλου ὄνομάζειν, οὐ συνάξεις ποιεῖν, ἀπεις ἀπηγόρευτα. Εἴ τις ἔνι εὑρεθῇ ταύτῃ τῇ πεντεμέτρῃ εἰδωλολατρείᾳ κολεῖσθαι, ἐστιν αἰνάθεμα, διὰ ἐγκατέλιπτε τὸν κύριον

m) Laodicenam Synodum cum Baro-  
nio ad initia Saec. IV. referimus, licet  
haud definit, qui ad annos 365. vel 368.  
eandem referant. Exhibit canonem  
WILH. BEVERREGIUS Pandect. Canon.  
SS. Apost. T. I. p. 468. In quibusdam  
Conciliorum Collectionibus a Pontificiis,  
qui concoquere non possunt cul-  
tum angelorum prohibitum in ea Syn-  
odo, et idolatriam vocatum, teste  
HOSPINIO, latine ira habetur: Non  
oportet Christianos de reliqua ecclesia  
abire et ad angulos abominandae ido-  
lolatriæ congregaciones facere. Sic  
commutato angelos in angulos sui er-  
rotis a Laodicena Synodo damnationem

euadere noluerunt. Sed THEODORE-  
VS Cyrenensis Ep. iam in c. 3. ad Col-  
lof. Opp. ex edit. Simonid. T. II. p. 161.  
occasione mentemque Canonis clare  
expofuit scribens: Οἱ τῷ νόμῳ συνυγ-  
έντες, καὶ τὸς Ἀγγέλου σύβουτος τοῖς συν-  
γένεστο, διὰ τετου λίγοντος διδόθεν τον νόμον.  
Ἐμενι δὲ τόπο το πάθος, οὐ τῇ Φευγῇ καὶ  
Πισιδίᾳ μέχει πολλός. Ω δὲ καρον καὶ συντα-  
χέστα συνέδος ἐν Λαοδικειᾳ τῇ Φευγῇ τοιού-  
του καθολικού καὶ τοῖς Ἀγγέλοις προτετυχόσι,  
καὶ μίχρι δὲ τὸν νῦν αιώνα τῇ σειρᾳ Μιχα-  
ὴλ τας ἵκεισις, καὶ τοῖς ὁμέοις ἐκπινέειν  
εἰδεῖν. τόπο τοιν συνεβλεπον ἱετοι γέ-  
δει, ταπενοφροτύν διδειν πεχχυμενοι, καὶ  
λιγοντει, οις μορφασ ὡ τοις ὅλοις Θεοσ, ανέ-  
φικτος

κύριον ήμῶν Ἰησὸν Χριστὸν, τὸν οὐρανὸν τῷ Θεῷ, καὶ εἰδωλολατρεῖς προσῆλθεν. Nihilo minus tamen JOHANNIS CHRYSOSTOMI<sup>1)</sup> aetate, non defuerunt, qui per angelos, aditum quaerebant, non per Christum ἡσάν τινες οἱ λέγοντες, & δεῖ ήμᾶς διὰ τὸ Χριστὸν προτάγεσθαι, ἀλλὰ διὰ τῶν ἀγγέλων.

Processu temporis eo uentum est, ut multiplices angelorum adparitiones, uel credulitas hominum somniaret, uel improbitas comminiseretur, lusus aut quaestus cauissa. Ita honor angelis habitus, paullatim auētus, mirum in modum creuit.

Et S. Michaeli quidem satis mature tempora dedicata, et eius nomine appellata reperiuntur. Ita Saec. IV. ineunte Alexandrum, episcopum ecclesiae Alexandrinae, S. Michaeli Archangelo templum in urbe Alexandrina consecrass̄e, refert EUTYCHIUS, itidem episcopus *Alexandrinus*.<sup>2)</sup> Et a Constantino M. ipso in urbe Constantinopolitana fuisse Michaelis honori templum aedificatum,

et

Φικτός τε καὶ ἀκταλληπτος, καὶ προσήκει διὰ τῶν ἀγγέλων τὴν θεῖαν εὑρίσκειν πρεγματινῶσιν. Τότο λέγεται ἐν ταπεινοφρούρῳ ἐπάντιοι τοῖς ἐστι. τὸν μὲν γάρ ἵκεπτον τὸ δὲ τυφόν τὸ πάθος αἰρεῖσθαι περιέκειται. Τόδε ἀ μὴ ιεράκινον ἱεραθεύειν, αὐτὶς τὸ λαζαρικοῖς αἰκεσίοις χρώμενος. τάπτο γάρ ἀπηγγέλειν, εἰκὸν Φυτισμένος ὑπὸ τῷ νοῦ τῆς σαρκὸς αὐτῆς. Idem etiam uberioris declarat THEODORETUS eodem in Commentario ad Coloff. p. 163. Ἐπειδὴ γάρ ἑκατὸν τῶν ἀγγέλων σίβερον ἐκτίνουν, αυτὸς τὸ ἐπάντιον παρεγγυών, ἀστερά τὸν λόγον, καὶ τὰ ἔργα κοσμητικὰ τὴν μνημὴ τὸ δοτούσα Χριστὸν. καὶ τῷ Θεῷ διὰ κατατρόπου τὸν ἡχεῖσιν διὰ αὐτὴν φέσιν, ἀισπιμπίτιτι, μη

διὰ τῶν ἀγγέλων. Τέττα ἐπομένη τῷ νόμῳ καὶ η ἐν Λασοδικείᾳ σύνοδος, καὶ τὸ παλαιὸν ἕκτο πάθος θεωπάντιον βαλομένη ἐπαναζητήσεις, μη εὑχεῖσθαι ἀγγέλους μηδὲ καταλιμάνειν τὸν Κορινθὸν ήμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ.

n) Homil. VII. in Epist. Pauli ad Coloss. Opp. edit. Montfoc. T. VI. p. 550.

o) Annal. a ROCOKLO editorum T. I. p. 435. narrat Patriarcha, Alexandrum, templum Saturni, in quo idolum aereum, Michaelis nomenclatura, positum fuisse, destructo idolo in christianum commutasse, ipsumque templum honori Michaelis Archangeli consecrass̄e.

B

X DE ORIGINIBVS SOLLEMNIVM

et quod Archangelus ibi adparere crederetur, eius nomine adpellatum, refert SOZOMENVS <sup>p)</sup>) his uerbis: Ταύτην μὴν ἐν ὀσέντινα  
νεοπαγῆ Χριστῷ πόλιν καὶ ὁμώνυμον ἐσωτῆρ, γεραιάρων Κωνσταντίνος,  
πολλοῖς καὶ μεγίστοις ἐκόσμητον εὐκτηρίοις οἵοις· συνελαμβάνετο δὲ καὶ  
τὸ θέατρον τῇ προδημίᾳ τῇ Βασιλεῶς, καὶ ταῖς ἐπιφανεῖαις ἐπιζεύχει  
σύγιες οἵοις· ἐπιστημότατον δὲ μάλιστα ζένοις τὲ καὶ αἴσιοις ἐξ ἐκένευ γε-  
νέθαι συνωμολόγηται, τὴν ἐν ταῖς ἑσίαις ποτὲ καλυμέναις ἐκκλησιαν·  
τόπος δὲ ἔτος, οὐν Μιχαήλιον ὄνομαζόμενος, ἐν δεξιᾷ καταπλέοντι  
ἐκ Πόντου εἰς Κωνσταντινόπολιν· διεῖσδε αὐτῆς πλωτήρι μὲν, ἀμφὶ τρία-  
κοντα καὶ πέντε σάδια· ἐβδομάκοντα δὲ καὶ πρὸς, κύκλῳ περισθέοντι;  
τὸν διὰ μέσον πορθμόν· ἔλαχε δὲ τὸ χωρίον τέτο τὴν νυνὶ κρατεῖσαν  
προστηγόρειαν, καθότι πεπίστευται ἐνθάδε ἐπιφανεῖα Μιχαήλ τὸν θέατρον  
ἀρχάγγελον· τέτο δὲ καὶ γὰρ ἐνηγειτύμενος τὰ μέγιστα, ἀληθὲς ἔνος  
σύμφρον.

Sed non statim ut Michaeli templa exstruvi coeperunt, etiam  
in eius memoriam dies festi reperiuntur esse instituti. Quae enim  
ex MANVELIS COMNENI Imp. Cptani Constitutione <sup>r)</sup> de Festo  
Michae-

p) Hist. Eccl. I. II. c. 3. pag. 137. edit.  
Reading. <sup>t</sup> pum templum plenius de-  
scribit IOH. CIAMPINVS de Sacris ae-  
dificiis a Const. M. exestrutis p. 171.

q) Constitut. 2. d. Feriū apud BAL-  
SAMONEM ad Photii Nomocan. Tit. 7.  
c. I. vide et BASNAGII Thes. monu-  
ment. ecclesiast. T. 2. p. 465.

r) In Notis ad Martyrologium Ro-  
manum p. 107. 316 edit. Colon. in 4.

s) libello de S. Michaelis Apparitio-  
nibus, templis, culta miraculis c. X.  
seqq. it. cap. 36. ubi innumeratas fere ad-  
paritiones Michaelis recitat. Vult Mi-  
chaelem in Christi resurrectione et in ad-  
fensione in caelos, adparuisse, in deserto  
ministrasse, eundem in horro Gelsenane  
orantem, corroborasse. Ex Ecclii Homiliis,  
ex Horolani Calendar. ecclesiast,  
ex Durando, Petro de Natalibus et  
alii eiusmodi furfuris autoribus, mi-  
ras adparitiones narrat. Quales etiam  
nonnullas memorat, et reicit HOSPI-  
TIANVS de Festis Christian. Opp. T.  
2. p. 108.

Michaelis Archangeli apud Colossenses adferuntur, ea sunt recentioris aetatis, et diem Septembbris sextum, ex parte duntaxat festum, et minori sollemnitate celebratum fuisse arguant.

Ex adparitionibus Michaelis quas aetatis mediae Scriptores, partim in Oriente, partim in Occidente, longe creberrimas factas esse uolunt, etiam sollemnes et miraculosas, collegit maxime memorabiles CAESAR BARONIVS<sup>1)</sup>) multo plures earum fere ex Vinc Bellouacensi, et Eccio putidinsule narrat CAROLVS STENGE-  
LIVS<sup>2)</sup>). In his omnibus tres quatuorue praeter caeteras eminent et celebrantur. Prima est ea, quae Romana dici potest, facta Saec. VII. ineunte: <sup>3)</sup> altera, Gallica in monte Normanniae Tumba: <sup>4)</sup> tertia Asiatica in regione Chonensi: <sup>5)</sup> quarta denique in monte Gargano sub exitum Saec. V.

Atque hanc in monte Gargano factam origines festo Michaelis dedisse commemorant. Ipsa fabula satis copiose atque ornata   
CAES. BARONIO<sup>6)</sup>) et aliis exponitur, et Legendarum Principis ange-

B 2 lorum

<sup>1)</sup> Referunt nimirum temporibus Bo-  
nifacii III P. R. diuexatam peste igni-  
varia Romanam fuisse, mox angelum in  
cucumine molis Hadriani confedisse, et  
telum in vaginam recondentem signum  
finitae luis dedisse. In cuius rei me-  
moriā castrum, montis S. Angeli no-  
menclatura insignitum et ecclesia, in ho-  
norem Archangeli Romae condita.  
Ita BARONIVS in *Notis ad Martyro-  
log. Rom. VIII. Mai. HOSPINIANVS  
vero de Festis Christian. p. 100.* Gregorii  
M.P.R. temporibus rem accidisse, scribit,

quamque is propter pestem inguina-  
riam Litanias instituisset, uidisse ange-  
lum gladium cruentum in vaginam re-  
condentem.

<sup>2)</sup> Hanc adparitionem ex *Mabillo-*  
*nio et Bouqueto* exhibet et describit  
*Illijsr. HAEVERLINVS c. diss. p.*  
72. seqq.

<sup>3)</sup> vide de hac CAES. BARONIVM  
*Annal. Eccles. ad an. C. 60.*

<sup>4)</sup> 1. 1.

lorum ex Cod. biblioth. Vaticanae MSS. ab FERDIN. VGH'ELLO exhibitam repetit *Illiſfr. HABEBERLINVS*<sup>2)</sup>). Ea uerboſior eſt, quam ut hic adſcribi debeat: rei ſumma breuiter contrafacta haec eſt. Quum pecora hominis cuiusdam praediuitis Gargani, ex monte Apuliae paſtu rediuiſſent, uno tauro non reuerſo, hominem qui eius quaerendi cauſa exiuiſſet, inueniſſe illum speluncae foribus adſtantem: ſagittam in taurum emiſſum, ab eo resiliuſte in iaculatorē et huic uitam ademiſſe. Rem Laurentio epifco eſſe nuntiatam, eidemque Michaelē Archangelum adparuiſſe, praeci- pientem ut eo loco in ſuum honorem templum exaedificaretur. Poſt multa miracula ibi a Michaelē patrata, epifco Gelasium Papam conſulentī, quo die templum dedicandum eſſet, quum hic respondiſſet apparitionis die: Michaelē negaſſe dedicandam eſſe basilicam, quam angelus aedificatſet: eam a ſe ipſo iam dedicatam eſſe. Plures igitur in templum ingressos, plane omnia ſigna dedicationis peractae admirantes inueniſſe. In huius ergo rei memoriam festum dedicationis S. Michaelis in diem XXIX. Septembris mensis institutum eſſe uolunt.

Sed iſtiſ rei nullus aequalis aetate Scriptor meminit. Qui primus rem retulit *ANASTASIVS BIBLIOTH.*<sup>3)</sup>, uixit Saec. IX. annis ferme quadringentis posterior: atque hunc alii Scriptores au- ſtorem ſequuti ſunt.<sup>4)</sup>

Vero

2) libello ſaepē laud. pag. 59.

3) De Vitis Pontif. in Gelasio I.

4) Ut *SIGEBERTVS GEMBLACEN-*  
*915 in Chronograph. ad an. 488. VIN-*  
*CENTIVS in Speculo Hisfor. l. 21. c.*

IO2. WILH. DVRANDVS *Rationati-*  
*din. Offic. l. 7. c. 12.*

c) Legitur enim, ut uno tantum re-  
ſte utar, in peruetuſto *Eccles. Germ.*  
*Martyrologio Aug. Vind. in 4. a-*  
*MATTH. FR. BECKIO edit. et com-*  
*ment.*

Vero proprius est, antequam talis fabula excogitaretur, festum iam Michaelis in ecclesia paullatim inualuisse: idque ut supra monuimus, uocabatur in antiquis Calendariis et Martyrologiis *Festum dedicationis ecclesiae Michaelis*,<sup>c)</sup> qua adpellatione aequae basilicae Romanae ac Garganitanae dies encaeniorum, poterat designari. Res ita se haber. Dedicata Michaeli basilica in Gargano, quum Apuli ex vicinia quotannis sponte conuenirent die dedicationis, factum est, ut ludi atque spectacula uel alia genera laetitiae celebritatis auggendae cauissa adhiberentur. A quibus ut abduceret homines, praecepit statas eo die συάξει Episcopus, precibus et hymnis per agendas. Itaque sine fabula festum is diem constituit Michaelis, eodem plane modo, quo antiquitus alii episcopi ecclesiae christianae ut sacra profana diei alicuius, aut aliam iniquitatis pomparam delerent, festum gentile in christianum commutarunt<sup>d)</sup>. Ita natum Michaelis festum Apulum priuatum et gentilium fuit, deinde post ecclesiae aliae atque aliae in Occidente receperunt: donec iubente Conc. Moguntino receptum ab omnibus, et Ludouici Pii Imp. temporibus generale factum est.

Non enim occurrit festum hoc Michaelis neque in *Constitutio-nibus Imperat. THEODOSII VALENTINIANI et ARCADII de festis diebus maiestati altissimae dedicatis*<sup>e)</sup> neque in *Legibus Visigotho-*

B 3 rum

*ment. illustrato; Dedicatio Sci Michaelis arclan. rubro notatum ad 29. sept. C. III. Kal. Oct.*

*d)* Constat nimimum, quam grauiter uet. ecclesiae doctores contra spectaculorum libidinem ore et scriptis inue-

cti fuerint, ut TERTULLIANVS de *Spectac. SALVIANVS de gubernat. Dei I. 6. CHRYSOSTOMVS passim in Homilia de Davide et Saulo*, atque. Ad obrogandam uefaniam Christianorum episcopi supplicationum dies indixerunt,

rum<sup>f</sup>) bene longam alias dierum feriotorum recensionem exhibentibus, neque in *Capitularibus Caroli M. Imp.* ubi *festivitatis in anno enumerantur, quae per omnia venerari debantur*<sup>g</sup>). Denique non deprehenditur id festum in uetusissimis *Calendariis et Martyrologiis*<sup>h</sup>) et ex his in quibusdam tantum Saec. IX. antiquioribus sub nomine *Dedicationis Michaelis*.<sup>i</sup>)

Ab hoc uero tempore *Calendaria et Martyrologia* prisaec similitati: *Dedicatio S. Michaelis* adiecta seruant uerba: *in monte Gargano. Adulto Saeculo: Festivitatem S. Michaelis Archang. adpellarunt.* Quae variatio, et quia ante Caroli M. aetatem uox dedicatio in paucis *Calendariis et Martyrologiis* deprehenditur, sati argumento est, festum a Concilio Moguntino an. DCCCXIII. regnante Carolo M. qui in societatem imperii iam adscuerat Ludouicum Pium filium, habito, auctoritatem suam accepisse. Ibi enim Patres *Dedicationem S. Michaelis* inter festos dies in anno cebrandos can. XXVI. restiterunt, ut esset anniversarium sacram iustitio et ab opere manum cessatione celebrandum,<sup>k</sup>) quod deinceps per *Ludou. Pium*<sup>l</sup>) et decretum Conc. Lugdun. nouum robur accepit.<sup>m</sup>)

Vidimus igitur **FESTVM S. MICHAELIS** ab eo tempore, quo institutum est, non quidem uitio carnis, neque eo minus tamen faciem referre posse eius sacri, quo aeternus Dei filius: *Quis sicut Deus, operiosus nos ovavidos colatur.* Posteaquam angelorum cultus a Concilio Laodiceno frustra profigatus, inualuit in ecclesia, eorum honori passim templa consecrata, et dies festi sunt instituti. Accessit fabula de adpartitione Michaelis in Apuliae monte Gargano

gerunt, modo etiam gentile ritum aut gentile festum, ad tollendum illud, in Christianum mutarunt. Pollebat etiam antiquitus quisvis episcopus potestate ut constituere potuerit, qui dies sacri et festi habendi sint, et **GREGORIUS IX. P. R.** ratas declarat omnes solemnitates, quas singuli episcopi in suis dioceesis cum clero et populo duxerint sollemniter venerandas. Eiusmodi dies per episcopos constituti sollemne, a

Principibus deinceps iuridicis exempti, feriati esse cooperunt.

e) L. 2. et 7. C. de Feriis.

f) In PET. GEORGISCH Corp. Iur. Germ. antiqu. p. 1864. et 2171.

g) L. 1 c. 158 apud STEPH. BALZIVM Capitular. reg. Franc. T. I. p. 732.

h) Non in eccl. Carthag. Calendario a Mabillonio vulgo nec in *Polematis Sylvis*

gano facta, et quae priuata exiguae prouinciae fuit religio, mox in alias terras dimanans, occidentem pariter atque orientem occupauit, et ad extremum in occidente quorundam conciliorum decretis est confirmata, quibus omnes ecclesiae iussae sunt, DIEM s. MICHAELIS ARCHANGELI FESTVM celebrare.

Facta per D. Lutherum sacrorum emendatione, seruata est constanter festi Michaelis celebritas, dedicata illa increato archangelo Christo: maxime ut esset dies, quo fidelium coetu pro concione doctrina de Angelis proponeretur, et Dei beneficia praedicarentur, quae ministerio angelorum hominibus exhiberet.

Nec in sanctione Imp. Rom. German. neglectus feriationis diei Michaelis ritus est, quippe ita iubente Carolo V. in *Declaratione* quam fecit *Augustae Vindelic.* an. MDXXXXVIII. Tit. de Ceremoniis: *Man soll auch die Feste so von der Kirche angenommen behalten etc. und wo nicht alle, doch die fürnehmsten, nämlich s. MICHAEL.*

Neque tamen idem omnium ecclesiарum euangelicarum in Germania de Festo Michaelis consilium fuit. Nam ut aliae illud in meliores usus translatum retinuerunt: sic aliae, aut penitus repudiarunt, aut in diem Dominicam proxime in sequentem contribuerunt. In ecclesiis Noricis memorat HIER. WILH. SCHMIDIVS, ecclesiastes Norimbergensis, qui curiosam expositionem hist. theol. de diebus festis eccl. euangelicarum, uulgauit, Michaelis nullum sacram celebrari.<sup>m)</sup>

Aliibi, ut in terris Brunsuicensibus, quod numerus dierum festorum ab ecclesia Romana traditus, quamuis iam reformationis tem-

Silvii a. 448 scripto. Ex Martyrolo- Epist. Eccl. p. 201. edit. Veron. 1733. gis autem nihil certi quia antiquioribus Hieronymi, Bedae, Adonis, ex quibus reliqui haueront, a recentioribus multa adfusa sunt. Operose tamen habet haec: *Die 29. Mens. Sept. Dedicatio ecclesiae Archangeli.*

k) Tom. 9. onc. Coleti p. 337.

l) Capitular. l. 2. c. 35. apud St. Ba-

luz. Capit. reg. Franc. T. I. p. 748.

ll) Can. I. de Conferat. Diff. 3.

m) Prodit H. G. S. S. P. I. N. Theol. historische Beschreibung der Sonn- Feiertage, des euangelischen Kirchen-

i) in Calendar. Rom. sub initium Sec. 9. scriptum apud FRONTONEM in

XVI DE ORIGINIBVS SOLLEMNIVM S. MICHAELIS.

tempore multum amputatus, nondum tamen satis restrictus ac diminutus uidetur, Michaelis festum, et alia nonnulla, maxime Mariana, collata sunt in dies Dominicos post quodque festum sequentes: ne scilicet nati ad laborem homines, tempus otio et luxuria perderent, sed id utiliter in opere faciendo consumerent.

Atque etiam in ipsa Romana ecclesia, qua tamdiu multitudine Festorum laborauit, nuper tandem intellectum est, rei publicae magis in dies nocitum iri, nisi dierum festorum numerus deminueretur. Quare in terris Austriacis, aliisque, ante aliquot annos, ipsius Pontificis Rom. auctoritate, haud pauci dies festi abrogati sunt.

In Electoratus Saxonici ecclesias adhuc seruatur constanter solennitas S. Michaelis in die antiquitus accepto, isque apud nos tanto memorabilior habetur, quod ab eo et initium alterius periodi semestris constituimus, et alia multa, quae spectant ad annum gratiae, decimas, et redditus sacerdotum computamus. <sup>2)</sup>.

In hac autem nostrate Academia S. Michaelis dies eadem sollemnitate agi solitus est, quae in maximis quibusque Festis ecclesiasticis obtinet.

Agite igitur, CARISSIMI CIVES, et celebrate nobiscum pie ac religiose hunc diem ueri MICHAELIS, hoc est CHRISTI qui est maxime *sicut Deus*. Reputate diligenter apud animos uestros, caelestium spirituum exempla, uoluntati diuinae obtemperantium et ministeria facientium. Incitamini studio pietatis, caritatis, et omnium uirtutum, liberalitatemque in uerbi diuini interpretes iam oblationibus ad altare faciendis ostendite. P. P. in Academia Vitebergensi Vigiliis S. Michaelis An. MDCCCLXXIII.

cheniales Norimb. 1730. in 8vo, ubi  
haec p. 309 narrata habes.

n.) In Ordinat. Ecclesiast. Elect. Sa-  
xon. Tit. von den besondern Feften,  
praeципiuntur haec: Hierüber sollen

diese Feste gehalten werden, der Tag  
MICHAELIS daran von den heiligen En-  
geln zu predigen. Ceterum quae hic  
pertinent habentur plura apud CHA.  
WILDVOGELIVM diff. de eo quod iu-  
stum est circa Angelos pag. 33.



**ULB Halle**  
007 432 852

3



VD 18

QK II, 2692

nl

R.M. 1.728

B.I.G.

Black

3/Color

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



I DER. WERNSDORFI

P. O. ALVMN. ELECT. EPHORI

MENTATIO

D E

V S SOLLEMNIVM

C H A E L I S

N I M I C H A E L I S S A C R O

N. MDCCCLXXXIII.

P. P



T E B E R G A E  
ROLI CHRISTIANI DÜRRIT  
ACAD. A TYPIS

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

